OTTO FRISINGENSIS

Admont, 2. Hälfte 12. Jh. Seite 75v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26044
Copyright: Admont, Benediktinerstift

xlvi imperii xiiii in palacio Aquisgrani, ubi ipse ecclesiam miri operis in honore sanctae Mariae semper virginis construxerat sedemque regni constituerat, LXX. vero etatis suae anno diem obiit ac in eadem ecclesia humatur. Ceterum actus eius et bella que gessit, de ponte quoque quem ultra Rhenum fecerat Maguntiae, de palaciis etiam que Noviomagi, in Ingilnheim aliisque regalibus locis opere regio construxerat, qui scire vult, legat historiam eius et gesta a multis descripta. Erat autem, ut quidam de ipso ait, amplo corpore ac robusto, statura eminente, apice capitis rotundo, oculis pergrandibus ac vegetis, naso paululum in mediocritatem excedenti, canicie pulcra, facie leta et hilari, eloquentia copiosus et exuberans, in cibo et potu temperans, sed in potu temperantior. Huius igitur virtute regnum Francorum plurimum est augmentatum omniumque regnorum maximum. Romanum videlicet ab oriente ad occidentem translatum. Regnum vero Teutonicorum ab Bulgaris seu Illirico usque ad Hispanos, a Danis usque ad Calabres, exceptis adiacentibus regionibus, utpote Boemia, Polonia, Dalmatia, Histria, Venetia, Brittannia aliisque provinciis, que modo duo regna Romanorum et Francorum, excepta Pannonia, esse noscuntur, fuit. XXXI.

Anno ab incarnatione Domini DCCCXV Ludewicus Karoli filius, quem ipse adhuc vivens successorem ordinaverat augustumque vocaverat, morte patris comperta ab Aquitania Aquisgrani palacium veniens, consensu omnium rex creatur. LXXXV ab Augusto imperavit. Anno imperii eius I delatione quorundam comperit primates regni adversus Leonem papam conspirantes iussu pontificis interfectos fuisse. Ad quod perscrutandum vocatum ad se nepotem suum Bernhardum Italie regem Romam misit, qui in urbe informatus rei eventum per Heroldum comitem augusto mandavit. Leo quoque missis ad imperatorem nunciis, qui eius animum lenirent eumque ad se venturum predicerent, iter eorum in Gallias subsequitur. Cui imperator Remis occurrens honorifice eum suscepit. Papa quoque celebratis ex more sollempniis missarum diademate coronatum imperatorem pronunciavit Romanum Ludewicum. Hunc annum, quo a Romano pontifice coronatus est, alii secundum regni sui, alii VII dicunt. Imperator post hec generalem curiam Aquisgrani celebrans primogenitum suum Lotharium imperii socium legit. Nam alios duos Karolum et Ludwicum reges vocatos, unum Aquitanie, alium Bawarie prefecerat. Non multo post Bernhardum Italie regem cum regni sui civitatibus adversum se coniurasse comperit. Contra quem dum procinctum movet, frac

Leo obiectis se purgavit. Quo defuncto Stephanus substituitur. Hic statim ad regem missis nuncius.

Ansgarius episcopus convertit Danos et Swedos. Tempore Ludowici in Turingia cecidit lapis pedum longus xiii pedum altus, de terra firma [illegible] pedum et sublatus est [illegible] spacio xxv pedum. In [illegible] hoc loco [illegible] est [illegible] Saxonia quedam [illegible] cum agris [illegible] spacio unius leuge sub una nocte in [illegible] valli se subrexit.